

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3639

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1262, juillet

Lieu d'émission : Nevers

Action juridique : échange

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, donne à Eudes, archevêque de Rouen, le château et la ville (villa) de Gaillon, la tour et la ville des Noës et les villes de Douvrend et de Huménil avec tous leurs dépendances, en échange des 4 000 livres tournois, tous les moulins et un vivier de Rouen avec toutes leurs dépendances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 685, p. 143-144.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos cum dilecto et fideli nostro Odone, Rothomagensi archiepiscopo, permutationem fecimus, sicut inferius continetur, videlicet quod eidem archiepiscopo, suisque successoribus ex causa permutationis seu escambii dedimus et concessimus tenenda perpetuo et habenda in puram et liberam elemosinam castrum nostrum et villam de Gallon, turrim et villam des Noes villas de Douvrent et de Humesnil, cum omnibus pertinentiis predictorum infrascriptis, et omnibus juribus et honoribus, et cum omnimoda juridictione et justicia et pleno jure regali, nichil penitus retinentes in predictis, exceptis feodis et membris lorice extra villas predicto archiepiscopo traditas constitutis, in quibus feodis et membris extra villas omnem justiciam magnam et parvam retinemus ; hoc etiam adjecto, quod predicta nobis cedent in regalia, vacante ecclesia Rothomagensi. Pro quibus dictus archiepiscopus dedit nobis quatuor milia libras turonensium, et omnia molendina sua, et vivarium apud Rothomagum, cum omnibus pertinentiis eorum et juribus et oneribus eorumdem, et tota justicia eorumdem, nichil retinens in molta civium Rothomagensium vel eorum qui in suburbiis commorantur. Sibi tamen retinuit molturam liberam in dictis molendinis, tam pro hospicio suo Rothomagi quam pro se ubicumque Rothomagi fuerit vel apud Deivillam vel alibi prope Rothomagum in loco eque distant, ita videlicet quod post bladum quod fuerit in tremuya, veniente nuncio seu servienti ipsius archiepiscopi ad molendinum, primo et immediate sua moltura libere compleatur, nisi forsan serviens baillivi nostri vel custodis castri nostri Rothomagi prius venisset ad ipsum molendinum quam nuncius seu serviens archiepiscopi memorati, qui baillivus vel custos castri nostri aut ejus serviens, tunc scilicet cum prius venerit, in moltura preferetur. Cum predictis etiam dedit nobis dictus archiepiscopus quatuor molendina apud Deivillam absque tamen molta qualibet hominum suorum ville predictae, et justiciam in eisdem que pro molta in Normannia fieri consuevit, hoc etiam adjecto quod infra dicta molendina bladum vel farinam non poterit arrestare, nec aque cursum ad dicta molendina poterit impedire. Jus

etiam alveum reparandi et purgandi nobis concessit quociens opus fuerit, absque tamen lesione seu impedimento molendini sui in superiori parte aque constituti, nichil omnino nobis in dicta villa ex hujusmodi permutacione concedens, preter illa quatuor molendina cum juribus supradictis. Predicta autem omnia et singula que dicto archiepiscopo suisque successoribus dedimus ex causa predicta, nos et successores nostri eidem archiepiscopo suisque successoribus adversus omnes garantizare tenebimur in futurum, tali modo quod, si forte aliqua de predictis que eidem archiepiscopo ex causa predicta dedimus per jus evinci contingeret ab eodem vel ejus successoribus, nos vel successores nostri eidem archiepiscopo vel ejus successoribus res equivalentes restituere teneremur in loco competenti. Similiter predicta omnia et singula, que dictus archiepiscopus nobis et successoribus nostris dedit ex causa predicta, idem archiepiscopus et successores sui adversus omnes garantizare tenebuntur nobis et successoribus nostris in futurum, ita quod si forte aliqua de predictis que uobis ex causa predicta dedit idem archiepiscopus per jus evinci contingeret a nobis vel nostris successoribus, idem archiepiscopus vel sui successores nobis vel successoribus nostris res equivalentes restituere tenerentur. Si autem contra nos vel successores nostros (quod absit !) aliquociens contigerit in Normannia guerram fieri, totiens ad magnam vim et ad parvam dictum castrum de Gallon et turrin des Noes nobis aut successoribus nostris cum munitionibus que ibidem tunc temporis fuerint tradere tenebitur archiepiscopus qui pro tempore fuerit, cum super hoc a nobis vel successoribus nostris per nostras vel ipsorum litteras patentes fuerit requisitus ; qua sedata guerra pace vel treuga vel alio modo, nos et successores nostri dictum castrum turrin archiepiscopo qui pro tempore fuerit in eque bono statu quo nobis tradita fuerint tam in fossatis, muris, edificiis, armis, victualibus et omnibus aliis libere et sine difficultate qualibet restituere tenemur. Insuper dictus archiepiscopus aut successores sui in castro predicto contra nos vel successores nostros neminem receptabunt, et, ad hoc quod de castro predicto diximus observandum, archiepiscopi qui pro tempore fuerint nobis sub fidelitate quam nobis prestant, cum eis tradimus regalia tenebuntur. Pertinencie vero de Gallon, des Noes, de Huemesnil et de Douvrent sunt hec videlicet : jus patronatus prebendarum quod habebamus apud Gallon, et jus patronatus parrochie de Douvrent : item terre arabiles, vinee, modiationes vini, prata, nemora, garenne, foucagium, redditus in frumento, avena, blado communi, nucibus, denariis, caponibus, gallinis, anseribus, ovis, panibus, garbis, calcaribus, motonagiis ; item gardina, campipartes bladorum et nucum sive terragia, coustuma denarii et oboli, vende furni, molendina, molta sicca, estoublagia, quarragia, messeria, vavassorum servicia, rusticorum precarie et corveie carrucarum, servicia quadrigandi et tuxandi, bannum vini, pasnagium foreste Sancti Albini, releveia, auxilia feodalia, tractus sagene quem habebamus in aqua Beate Marie de Garena, piscaria ; item molendinum de Autuel et pratium situm juxta dictum molendinum ; item modiationes de Longavilla, videlicet quadraginta quatuor modii vini rubei et sex modii vini albi. Predicti autem redditus et omnia alia suprascripta, exceptis dictis molendino de Autueil et prato sitto juxta dictum molendinum et modiatione de Longavilla, sunt et percipiuntur in dictis villis de Gaillon, des Noes de Humesnil et de Douvrent, et in mesniliis et territoriis sitis in parrochiis Sancti Albini, que est matrix ecclesia sive parrochialis de Gaillon, et d' Aubevoie, que similiter est de pertinentiis de Gaillon, et in parrochia de Douvrent. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentem paginam sigilli nostri auctoritate ac regii nominis karactere inferius annotato fecimus communiri. Actum Nivernis anno dominice incarnationis millesimo CC° sexagesimo secundo, mense julio, regni vero nostri anno tricesimo quinto, astantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt et signa, dapifero nullo. Signum Johannis buticularii ; signum Alfonsi camerarii ; signum Egidii constabularii.